
IO. CHRISTIERNUS
SPENDORPIUS.
THESES
ΠΕΡΙ ΤΟΥ ΟΡΙΣΜΟΥ
ORDINE EX ARISTOT.
REPETITAE.
1597.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 176 [14,-121 4°]




Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 176 [14,-121 4°]


Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 176 [14,-121 4°]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 176 [14,-121 4°]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 176 [14,-121 4°]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 176 [14,-121 4°]

14,-121
4°
(LN bis 176)

DA BOX

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 176 [14,-121 4°]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 176 [14,-121 4°]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 176 [14,-121 4°]

Theſes
ΠΕΡΙ ΤΟΥ ΟΡΙΣΜΟΥ
ORDINE EX ARISTOT. REPETITAE.

ET

In Celeberrima VVitebergenſi Academia publicè propoſitæ

Præſide

M. I*OANNE* C*HRISTIERNO*
Spendorpio Dano.

Reſpondebit
THOMAS VVEGELINVS Auguſtanus

Habebitur diſputatio in auditorio maiori collegii novi die 1. Iulii hora ſexta & ſeq.

VVITEBERGÆ,
Excuſæ typis VVolffgangi Meiſneri
M. D. XCVII.

8 49202 b
4. 8885

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 176 [14,-121 4°]

NOBILISSIMO ET AMPLISSIMO viro eruditione, & virtutum imaginibus, multarumq́; rerum uſu ſpectatiſsimo Dn. ESCHERO Brok/ Domino de Eiſtrup & Regiæ arcis Dronningburg in Dania præſidi digniſsimo, Domino ac Mecœnati ſuo omni obſervantia colendo.

VBi eſt melius, Vir nobiliſsime, & deterius, ſemper id, quod præſtat, primas tenet, inquit Ariſt. metaph. lib. 2. c. 3. itaq́ ſicut, inter omnes terminos et locos Dialecticos principem tenet ſedem ipſa definitio, propter uſum quem præſtat in omnibus rebus valdè eximium: ita illi, cuius inter multos caput eminet, definitio noſtra erit efferēda. Eſt .n. more comparatum in academiis, ut exercitationes literarum Mecœnatibus & bonarum artium, earumq́ cultorū promotoribus conſecrētur, eo nempe cōſilio, ut Eccleſiæ, Scholis et ſcientiarum artiumq́ ſtudiis apud illuſtriſs: nobiliſsimos et doctiſsimos viros, quales tum heic, tùm in Dania Patria noſtra ſuaviſsima eorum procreatores olim fuerant favor & tulela nunc quæratur diuturna, qua freti vitam agant litterariæ Reip. cives ſecuram, Deo, divinis earumq́ ſociis humanis, rebus feliciter indulgentes. Talem igitur quia veſtram excellentiam eſſe novi, dumq́ fui in academia noſtra inclyta Hafnienſi prius multis argumentis cōpertum habui, ſit hæc noſtra diſputatio veſtræ nobilitati nuncupata & oblata. Quæſo V. A. ſumma animi ſubmiſsione, munus quamvis perexiguum, benigno tamen vultu accipiat, noſtrisq́ muſis clementer faveat. Veſtram ſapientiam, pietatem, iuſtitiā & nobilitatem Spiritus Domini augeat, diu conſervet, totamq́ nobilem proſapiam perpetuò florentem tueatur toto pectore precor. Data VVitebergæ ex muſæo profeſto Iohannis Bapt. An. 1597.

V. A, & N.

Dediti[s]ſimus

M. Ioannes Chriſtiernus Spendorpius.

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 176 [14,-121 4°]

NVllus eſt, inquit Ariſt. qui ſcientiæ & doctrinæ cupiditate non ducitur, ſicut dicente Cicerone, & ipſo, *Metaph.* 1. *c.* 1. omnes ducimur, qui non intellectus acumine, & memoriæ ſagacitate deſtituatur, antequam exercitatione & uſu adoleverit.

2. Exercitatio autem doctrinam præſupponit ut ſubiectum, niſi, quod dicitur, de lana caprina fiat exercitium: de ocioſis quæſtionibus, à quibus ipſi dehortantur philoſophi, indoctè communicetur.

3. Et puerilia ſunt iſta, ut inquit Ambroſius, & circulatorum ludo ſimilia, docere & diſputare, quòd ignores, imò, ut cũ ſtomacho loquar, ne hoc quidem neſcire, quod neſcias. *In epiſt. ad Paulinum.*

4. Si igitur ingenium in utilibus acuendum ſit & exercendum, audiat prius puer, diſcat & credat præcepto philoſophi, donec ætate iudicioq; valeat & ipſe, vel ſimul præceptoris voce adiutus decernere poſsit præcepta fidei, ut vocãtur, ab illis, quæ ſcientiæ ſunt, & demonſtrabiles: Sicut ſcribit Plutarchus puerum Catonem Vticenſem feciſſe quidem, quæ á præceptore Sarpedone iuberentur, omnia: ſed poſtea cur is iuberet cauſas exquiſiviſſe, quòd præſtantis ingenii, & certè philoſophici ſignum fuit.

5. Quòd & hoc tempore nobis imitandum, ne opinio morbus ſacer, ut eam vocat Heraclitus, vim veritati faciat, & perturbemur.

6. Ratio autem docendi ſeu cognoſcendi apud Ariſt. duplex eſt in Anal. νοητικὴ, quæ definitione fit, & ſimplici mentis cõpreheñſione: & διανοητικὴ, quæ demonſtratione perficitur, & ratiocinatione.

7. Vtramq; profitetur Sturmius in Didymum, Alteram vocat ἐξηγητικὴν ἢ ἁπλῆν, aliàs τὸ ὅτι dicta, qua ſimplex rerum proponitur expoſitio.

8. Alteram verò ἑρμηνείαν, ἀποδεικτικὴν, διότι appellatã, quæ cauſas theorematum affert, veritatem ſcientiæ ſuæ demonſtrat, quæq; contra afferri poſſunt refutat, Et utramq; Ariſt. 3. de anima eximiè celebravit & adhibuit.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 176 [14,-121 4°]

9. Sed doctrinarum conformationi priorem ſufficere, (unicâ Geometricâ excepta, quæ alicubi propter rei obſcuritatem διανοητικὴ eſt) & diſcipulo commodiorem teſtis eſt ipſe Ariſt. & Seneca, cum dicit, apud diſcipulum docendum eſſe non diſputandum, paucis cum Enniano illo Neoptolemo, non multis philoſophandum eſſe.

10 Et licet hoc dicimus, τὸ ὅτι ſcilicet imprimis tradi: tamen non negamus τὸ διότι iudicio confirmato relinqui: præcedat illud quidem, nam ſi oporteat τὸν μαθησόμενον πιστεύειν, volũtate Ariſtot. & exemplo ſcholæ Pythagoricæ reddatur αὐτὸς ἔφα, optima docendi ratio fiat per breves aphoriſmos, ſeu, ut interpretatur Scaliger, per definitas & ſeparatas ſententias, ſeu ut Iuſtus Lipſius librorum breviaria erudiens: illud quod ſubtili & acurato philoſophandi genere traditur non creditur, ſed perſuadetur.

11. Atq; hoc eſt quod dicit Cicero, Laudem doctrinæ in ſuccincta & brevi perſpicuitate eſſe poſitam.

12. Cuius laudis partem ſibi vendicant, qui erudita ſcribunt compendia, ex quibus ad cuiuſq; ſcientiæ cognitionem regia quaſi via perveniendum eſt.

13. Perſpicuitatem ponit Ariſt. in verbis uſitatis & proprietate ſermonis, ſed non ſola, ut cum Cicerone vulgus autumat.

14. Vulgus Grammaticorum veterum voluiſſe videmus dicere eam in viva voce præceptoris, ſeu commentariis conſiſtere, qualia ipſi ſolebant verſibus ſuis obſcuris barbaris & imperfectis ſubiicere.

15. Quod rectè pernegavit Melanthon, cum vox in cautis pueris abeat, præcepta remaneãt ediſcẽda, ad uſum trãsferẽda: Et propterea ars ipſa ſine explicatione perſpicua eſſe deberet.

16. Brevitatem non quamvis intelligimus, & quidem eam minimè, qua, dum loquacitatem effugere conantur aliqui, in obſcuritatis vitium præcipites ruunt, de qua brevitate loquitur Horat. ſtatim circa initium de Arte: Brevis eſſe laboro obſcurus fio &c. ſed de ea potius, quæ iuſta ordinis lege admiſſa tali omni caret vitio, cuius præceptum evidens apud eundem.

Quic

Quicquid præcipies, eſto brevis, ut cito dicta
Percipiant animi dociles, teneantq; fideles.

17. Verum Ariſt. huius doctrinæ laudis veras & ſufficientes cauſſas aſsignat in diviſionis & definitionis elegãtia: Id quod probatur ex analytis, & aliis locis ipſius, & Platonis: Sunt .n. illæ non ſingularium, etſi ſenſum & experientiam habeant principia, ſed genus abſq; diſcurſu percipiunt univerſum.

18. Et bene quidem Ariſt. Qui enim exactè rem propoſitam definiat, & eandem benè diſtinguere ſciat, hunc bene docere, tritum eſt, & in vulgus probatum.

19. Vtriuſque autem & diviſionis & definitionis magna eſt commendatio tùm ab amplitudine, tùm à cauſa efficiente.

20. Amplitudo patet ex uſu, quem præ omnibus locis in ſingulis philoſophiæ partibus habet maximum, ut lumina doctrinarum, & præcipua docendi organa appellata ſint, imò, teſte Boetio, partes Dialecticæ veteres fecerint utramq;.

21. Ab efficiente extat commendatio apud Ariſtotelem. Duo, *3. metaphy.*
inquit, ſunt, qui quiſquam meritò Socrati tribuerit, inductivas *c. 6.*
rationes, ἐπαγωγικοὺς λόγους, & iniverſalem definitionem.

22. Conſiſtit autem utriusq; legitima ratio propria & perpetua in reciprocationis affectione ſeu prædicãdi viciſsitudine ut ſumma cum ſummis, media cum mediis viciſsim retrò comeent.

23. Vnde hæ ſunt Maximæ ſeu Axiomata

1. Totum nihil aliud eſt quàm partes, & contra *1. de nat. c. 3. 6. top. c. 6.* Definitum quam definitio.

24. 2 Cui tribuitur definitio eidem etiam tribuendum eſt definitum & contra: & cui adimitur definitio, eidem & definitum adimitur & contrà, quod & eſt de diſtributo & partibus ſimul ſumptis peculiari modo dicendum.

25. Sunt quidem plura apud ipſum Ariſt. & alios, quæ utriq; communia ſunt, ſed quia ea ut plurimum in doctrina definitionis, de qua nos primò agimus, ſolent inculcari, ad eius etiam declarationem à nobis adducenda ſunt.

26. Diſtributio aliâs in tali methodi conſideratione præcederet, cum verè definitione prior ſit, & ad plenè inveſtigandas eius partes plurimum faciat, vitiaq; quæ in definiendo cõmitti poſſunt, declinare moneat, *2. poſt. c. 5.*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 176 [14,-121 4°]

27. Qui enim rerum partes prudenter decernit & diſtinguit, definitiones etiam hic rarò viciat.

28. Sed noſtrum inſtitutum perſequimur. Ariſtoteles definitionis modum, leges conformandi & evertendi eas abſolutiſsimè perſequutus eſt.

29. Sed cum ait, veteres latuiſſe rationem exponendi τότι ἐῖναι καὶ ὁρίσαϑαι τὴν οὐσίαν: intelligendum eſt de perfecta ratione definiendi.

30. Nam ipſe prima initia tribuit, licet obſcurè Democrito & Antiquiores deſcripſiſſe & quodãmodo definire voluiſſe ex eorum monumentis non obſcurè indicatur: Socratiq; eius cognitionem concedit plenariam. 1. *metaph.* 4. eiuſdemque illum fuiſſe ſtudioſiſsimum refert 5. *l. c.* 4.

31. Sicut hoc ipſum ex omnibus Platonis dialogis arguitur, à quo tam ſæpe methodus definiendi inculcatur, ut nihil magis docere videatur, quàm perfectam definiendi rationem aſsignare.

1. top. 4. metaph. 2. c. 6. 32. Definitur autem definitio, ſeu ut Quint. loquitur, finitio apud Ariſt. generaliter rectè hoc modo ὅρισμὸς λέγεται ἔιναι λόγος τοῦ τί ἔϛι.

33. Eſt enim revera λόγος, qui rei terminat eſſentiam, & cognitionis amplitudinem, ut videatur quaſi per circinum eius in genere coæquato circumnotatam ſcientiam; & hoc eſt quod *in Phadro.* Plato dixit, in unam ideam intuens cogit definitor variè diſperſa, ne infinitæ multitudinis, & incertitudinis error exiſtat, ut loquitur in Theæto.

34. Ex hac definitione hæc Ariſtotelica ut ϖορίσματα emergunt.

I. Quod definitio ſit quædam cognitio. *top. c. 1. 2. poſt. c. 7.* licet non omnis cognitio & declaratio ſit definitio *2. poſt. c. 7.*

35 2. Quod affirmatione quadam contineatur 1. *poſt. c. 11.* ſeu, ut alibi loquitur, non niſi in affirmante proloquio, quæ res ſit, oſtẽdat, ut ob hoc Ariſt. affirmaverit, ſcientiam, qua, quid res ſit, cognoſcitur, ſolùm per primam figurã poſſe inveſtigari, ubi ſoli fiunt ſyllogiſmi attributivi & univerſales. 1. *poſt. c. 11.*

36. Negatio relinquit etiam ſine rei explicatione & cognitione, præceptiones infinitas, ſicut vulgò dicitur negans nihil dicit

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 176 [14,-121 4°]

dicit, nihil probat, etſi multa dixerit, multis probaverit: Qua cauſſa dicitur *1. poſt. 25.* affirmans demonſtratio negante melior.

37. In quibuſdam tamen definiendis ſed paucis, negatio adhibetur, & eâdem docetur, cuius generis ſunt privationes. *6. top. c. 3. l. 30.*

38. Aut cum definitio adhibetur κατ᾽ ἀφαίρεσιν τοῦ ἐναντίου ubi tamen enunciatio affirmari poteſt, ut caſtitas eſt virtus vitans pravas libidines.

39. 3 Quod ſit re ταὐτὸ & utrumque de eodem verè prædicetur. *top. 6. c. 3.*

40. 4. Quod ea, ex quibus conſtat, prænoſci, notaq; eſſe debeant. *1. metaph. c. 7.* notiora quæ illa ſint ex theſi 46. & 47. patebit.

De ſimpliciter notioribus intellige.

41. 5. Quod præſtet eniti, ut ex prioribus conſtet, cum hoc maiorem vim adſcientiam habeat *top. 6. c. 3.*

42. Verum hoc non eſſe tamen catholicum, ſed particulare docet *Ariſt. 6. top. c. 4.* cum nec oppoſitum oppoſito, nec relatum relato prius ſit, & notius, & tamen ſe mutuò definiunt.

43. 6. Quod fiat verbis perſpicuis & uſitatis *2. poſt. c. 15.*

44. Eſt autem definitio pro rei explicatione in duplici differentia: aut enim eſt eſſentialis ſeu perfecta aut imperfecta, quæ tamen proprio nomine deſcriptionis notatur.

45. Eſſentialis, ἄμεσος λόγος eſt in Anal. & vere nobilis, cum medium ſit demonſtrationis, quod ſcientiam ſimpliciter perfectam generat, & proinde vocatur propter quid & principium.

46. Hoc eſt, ipſo id Ar. explicante, quæ eſſentiã ex ſolis cauſis *lib. 2 de anima c. 2.* genere ſcilicet & differentia ſpecifica *top. 1. c. 4. & 6. c. 1.* demonſtrat: licet F. Patritius magis ex genere & accidentibus, videatur diſputare.

47. Sunt enim hæ partes ei ſolæ eſſentiales, ſeu, ut loquitur Ar. *4. top. c. 1.* τὰ στοιχεῖα τῶν πρὸς τοὺς ὅρους, Sicut ipſius rei & materia & forma partes eſſe recenſentur.

48. Non .n. genus ſufficit ad conſtituendum ſpeciem: Porph. ne unum ex diverſis ſtatuatur eſſentiis, & contrariis *7. metaph.* quæ tamen ipſum genus non videtur participare, ſed δὲ, inquit,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 176 [14,-121 4°]

inquit, philoſ. τὸν ὁριζόμενον εἰς τὸ γένος θέντα τὰς διαφορὰς προσάπτειν, ſicut hanc ipſam conſtitutionem refert Architæ probatam fuiſſe.

49, Eadem eſt eius χευωρία apud Platonem: primo res ſeu ὑφισάμενον, quod definitum ſeu nomen vocatur *top. 1.c. 5.* Deinde τὸ φῦλον, quod genus eſt, tum differentiæ nomine εἴδους καὶ μέρους notatæ.

50. Genus ſymbolum eſt materiæ, & formæ communis, quod ex Ariſt. contra Antiſthenem obſervabitur, Compoſitum enim ex materia & forma non eſt materia: Nam ſi lapis genus eſt ſmaragdi, nõ ſignificat ſolam materiam ſmaragdi, terram videlicet unctuoſam cum humido aquoſo, ſed etiam partem formæ, nempe horum mixtionem duriſsimam.

51. Verum etſi genus neceſſariò requiritur, neceſſariò tamen expreſsè non ponitur ſemper, cum & debeat & poſsit bene ſub intellectum relativo nomine vel alia particula exprimi, quando aut in ſerie & progreſſu ordinis tediosè repetitur, aut per ſe aliâs ſatis notum ſit, ut cum dico: Caſma cœli eſſe hiatum, quando anathymiaſis rara, quàm citiſsimè concipiens, & ſubitò cõflagrans, cœli decedentis hiatum oſtentat: per ſe quilibet intelligit eſſe meteoron, nec opus eſt ut ponatur.

52. Deinde verbo unico genus non exprimitur ſemper, ſed plura requiruntur, ad diſtinctionem generum aliorum vicinorum, vel eiuſdem nominis, ut doctrinæ ſphericæ genus eſt pars Aſtronomiæ: cœnæ Domini ſacramentum novi teſtamenti.

53. Itaque genus confert ad eſſentiam: forma vero multò magis, qua illud limitari ſolet & reſtringi ad certam ſpeciem, quæ definienda eſt.

54. Sed quia nemo perſpicuè rerum formas hactenus explicavit, Metaph. 6. formæ nomine differentiarum veniunt.

55. Ipſa quidem forma, τὸ τί ἦν εἶναι εἰδοποιὸς, συμπληρωτικὸς δυσατικὸς requirebatur, quæ non ſolum rem á rebus diſtingueret, ſed ipſam etiam quam informando conſtituit, apertè nobis demonſtraret

56. Hanc arborum nos in cortice, Hanc animalium nos in cute quærimus, quod noſtræ perpetuæ ſcientiæ imperfectionis argumentũ eſt, & proinde Pythagoras ſe σόφον dici recuſavit.

Neque

57. Neq; propterea tamen mirandum eſt, eſſe quidem definiendi rationẽ difficilem: nam licet ſit difficilis tamen impoſibilẽ contra Antiſthenem eſſe pernegamus, cum multarum rerum & genera & differentiæ perſpicuæ ſunt in ſymbolis & proprietatibus

58. Qarum vice fungitur, aliquando efficiens, ſæpè finis, non raro ſubiectum, adiuncta, quæ immediatè a forma manant, & nũquam a ſubiectis removentur: & hoc fit, ut rei, & circumſtantiarum ratio explicationem poſtulet.

59. Poſt hæc conſiderandum iam eſt & eſſe unius rei unam definitionem, & eiuſdem unius vitia & virtutes diligenter eſſe notandas.

60. Vnius rei duæ vel plures definitiones eſſe non poſſunt *top. 7. c. 2.* cum unicuiq; una tantum eſt eſſentia, & eiuſdem eſſentiæ una definitio:

61. Si enim, inquit Plato, dẽtur rei variæ definitiones οὐσιώδεις, *in Theæt.* rei foret eiuſdem eſſentia multiplex, quod abſurdum eſt.

62. Vel, ut Ariſt. Si multæ eiuſdem rei definitiones erunt, vis & natura rei eius, quæ definitur, erit eadẽ, quæ utraq; definitione declaratur *top. 6. c. 3.* quod itidem dicere vult eſſe abſurdum.

63. Quæ res unum ſunt, definitione conveniunt, quarum verò definitiones diverſæ ſunt, ut una non ſit alia, res illæ inter ſe differunt. Porph.

64. Eſt igitur Ariſtoteli una τῷ συνδέσμῳ & una ex unitate eſſentiæ, cum ex genere & differentiis una unius ratio ſignificetur. *2. poſt. c. 10.*

65. Eatenus autem non eſt τῷ συνδέσμῳ una, quatenus ex ſimul actu contrariis partibus cõſtare alicui videri poſſit, genere ſcilicet, quod per contrarias differentias dividitur, easq; quaſi τῇ μετέξει idearum participat, & differentiis: Ex illo quidem ceu materia & potentia: ex his verò tanquam formis potentiam illam actu terminantibus & diſtinguantibus. *K. T. metaph. c. 3.*

66. Neq; etiam unum eſſe quid definitio cogitanda eſt, eo modo quo Rẽpublicã vel σωρὸν unũquid eſſe dicimus Met. 7. 2. poſt. 10.

67. Hanc diſputationem, quam ita ex Ariſt. tranſcribimus, licet omnes concedant, & nobiſcum ut rectæ rationi conſentaneam tueantur, Quidam tamen inveniuntur, quos in definitionibus condendis ſtudio multũm variare juvat, & diſſentire ab aliis in vocabulis, & eorum aliquando vel multitudine, vel pau-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 176 [14,-121 4°]

citate, quod videtur non exiguum diſcipulis præbere diſpendium.

78. Deinde familiare & hoc quibuſdam eſt, definitiones, quas dare poſſunt, per diſtributiones partes, vel partium ſubiecta exprimere: per partes quidem (nobis non occurrit exemplum, fingamus ſimile) hoc modo: verbum Dei eſt doctrina de lege & Evangelio: per partium vero ſubiecta, ut cum dixerint Critici Grammaticam eſſe, quæ agit de literis, ſyllabis, vocibus & oratione, quòd eſt organa doctrinarum temerè confundere, & definitionem ipſam, quæ vera fuit, & finem fortè continuit, omittere.

69. Tertiò, Multi multa in definitionibus congerunt, dicendo differentias proprias, removendo contrarias, vel communia ſimul repetendo, non ſine inſigni definitionis elencho, ſicut infra dicetur.

70. Hæc de definitionis unitate. Quæ vero in ipſa notanda eſſe diximus, ſunt vel eius virtutes vel vitia, leges & elenchi.

71. Virtutes ſeu leges vel efficiunt in definitione perſpicuitatē, vel legitimam reciprocationis affectionem cuſtodiunt.

72. Perſpicuitas licet in doctrina & argumentatione omni requiritur, ſi unum per alterum alioquin explicetur vel probetur: Tamen quia τοῦ γνωρίσαι χάριν definitio adhibeatur, imprimis heic requirēda eſt, ne inquit Ar. Definiēdo nihil definiatur. 6. top. c. 1.

73. Nam etſi definiri videtur: tamen quia perſpicuum nō fit, & nobis explicatum, definitum licet dici poteſt, definitum eſſe negamus.

74. Perſpicuitatem ponit Ariſt. in oratione propria & certa, ut res directè & pleno ore indubitanter & cōſtanter arguatur.

75. Reiicit ergo quæ per homonimiam, per translationem, & omnia quæ non propriè dicuntur & obſcuritatem pariunt.

76. Homonimum verbum inutile, quia dubium efficit, utrius definitionem tradiderit, ut ſi quis ſanitatem definiat ſymmetriam callidorum & frigidorum.

77. Similitudines prorſus damnat, cū definitiones nō ſint qualeſcunq; imagines, quæ ſine explicatione alia parum efficiunt, quid enim definivit ille qui dixerit terram eſſe viventium altricem, tyrannum lupum, temperantiam concentum.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 176 [14,-121 4°]

78. De translatione ſeu tropo quòd dicit ſecundum ipſius ex-
plicationem accipiendum illud eſt: πᾶρ ἀσαφὲς τὸ μὴ εἰωθὸς, quod non eſt uſitatum, non eſt perſpicuum.

79. Legitimam reciprocationis affectionem cuſtodiunt tùm ipſum ſubiectum limitatum, tùm definitionis partium virtutes, ſi nimirum genus quæratur ligitimum & differentia ſpecifica.

80. Subiectum complexum nõ poteſt definiri, ſit igitur incomplexum.

81. Et hoc incomplexum, ſi fuerit homonimum, diſtinguatur, ambiguum, quis definiet? Et propterea methodicus nota- 1.top.c.15.
tionẽ ſeu definitionẽ nominis ipſam rei definitionem præmittat, ut ſi quis iubeatur de cancro perorare, alter per cancrum quid intelligeret, ei prius explicaret, quod eſſet etiam in oratione pro certo eius ſtatu faciendum.

82. Hæc cauſa eſt, cur non unica voce, ſed duabus aut pluribus nomen aliquando conſtat ad diſtinctionem ſcilicet homonimorum.

83. De partibus doctrina abſoluta eſt in Ariſt. qui ut præceptor ſolens diſcipulis velle conſultum, ſæpe & eleganter inculcat.

84. De genere præcepta ſunt hæc.

Ex *4, lib. top. c. 1.* præcipua excerpamus.

1. Sumatur ἐν τῇ αὐτῇ διαιρέσει id eſt ſit in eadem cathegoria, claſſe, ordine & linea ſi rectè ſit aſsignatum: hoc .n. eſt eſſe genus proprium, quale animal virtutis genus non eſt, ut apud Senecam legimus, nec hominis, animal immortale, quia ex vera linea non ſumptum eſt.

85. 2. Vſurpandum eſt proximum *top. 6. c. 3.* non ſummum, ne relinquantur ceteræ communitates intermediæ, quod vitioſiſsimum eſt & pluribus familiare:

86. Aut ſi non proximum, tum generi, quòd ſuprà eſt, adiungendæ ſunt differentiæ, quibus vicinum genus definiatur: Sic enim nihil prætermittetur, exprimeturq; oratione inferius genus pro nomine. *top. 6. c. 3.*

87. 3. Contineat materiam & prædicetur in quid, ut albus non eſt genus nivis.

88. 4. Sit perpetuum, non deſerat ſpeciem aut differentiam:

89. 5. Sua cõmunitate & amplitudine omnes ſpecies omnesq; res ſingulares debet continere, ut quælibet ſpecies illud participet. 4. *top. c.1.*

90. Et quidem συνωνύμως, ut ſpiritus non eſt genus ſynonimum Deo & angelis, animisq; hominum.

91. De Differentia hæc ſunt præcepta.

Differentiarum formæ recitãtur apud Boetium, videl. τὰ πρός τι & quæ fit remotione cõtrarii, &c. ſed hæc apud alios cognoſcantur.

92. 1. Verum qualiſcunq; tandem forma ſit, erit rei, quæ definitur propria 6. *top. c. 1. 2. poſt. c. 4.*

2. Sit per ſe. 3. Sit perpetua. 4. Abſolvetur paucis. 5. ſit definito æqualis.

93. Hinc πορίσματα quæ in Ariſt. ſunt.

94. Ex præcepto primo, 1. quod non ſit aliena *6. top. c. 1. & 3.* neq; qualiſcunq; imago, ut ſi lex definiatur menſura & imago eorum quæ iuſta ſunt.

95. 2. Deinde differentias eſſe maximè contrarietatem ſub eodem genere, & propterea eſſe ipſam diverſitatẽ & contrariorum pugnantiam *9. metaph. c.*8. ut loquitur interpres.

96. Vnde ſequitur, rei contrariæ differentiam inde fieri conſpicuam, cùm qui differentias rectè tradunt etiam contrarias adſignificant *6. top. c. 2.*

97. 3. Eſſe unam, niſi res per eſſentiam multiplicetur, cui ſpecie nulla eſt diſcrepantia.

De cauſis ling. Lat.

98. Ex Secundo. Sequitur hoc, quod Scaliger, & D. Iacobus Matthiæ Arhuſienſis in libello de literis contra P. Ramum, diſputant, quod voces, quæ perpetuitatem videntur enervare in nulla definitione habere locum, quales ſunt duntaxat, poteſt, videtur, tantum, aliquando & ſimiles aliæ, ſi perpetuitas ſubiecti ſimul & temporis ſtatuatur. Huc ſpectat quod docetur 4. top. c. 5. potentias rerum definiendarum non debere fieri differentias vel genera.

99. Licet autem ſint quædam, quæ temporis perpetuitate careant, ut ecclipſis ☾: tamen talis vis in virtute cauſarum hoc eſt cauſarum reſpectu ſubiecto dicitur ſemper contingere: conſtituta. n. luna in alterutro nodorum, ☊ vel ☋ non poteſt non

aliqui-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 176 [14,-121 4°]

aliquibus digitis obſcurari & propterea cauſarū reſpectu verbo contingentiæ ecclipſis lunæ non exprimitur.

100. Ex ſecundo & tertio: nullam differentiam in iis numerari, quæ temerè & caſu rei conveniunt, præſertim cùm alicui convenire & non convenire poteſt. *6. top. c. 3.*

101. Et hæ, quod veræ differentiæ non faciunt, licet ſeparari quidem non poſsint, tamen & contentionem & remiſsionem capiunt, *Porph. 1. c. 4.*

102. Ex tertio: neq; in ea cerni mutationem & alterationem *6. top. c: 3.*

103. Ex quarto. Quod non repetatur, ut ἀδολεσχίαν pariat *7. metaph. c. 14.* ut ſi quis dixerit hominem animal eſſe bipes, habens pedes.

104. Ex Quinto, quod maximè opus eſt notari: Differentiam, quæ generale quippiam eſt, in eo, in quo genus, numero tenendam eſſe: quæ ſpeciale, in quo, ſpecies. *1. top. c. 1.* alioquin nihil omninò rectè definitur, ſicut paſsim pluribus diſputat Ariſt.

105. Nam differentia univerſalis ſpecies habeat neceſſe eſt *lib. 1. de part. an. c. 3.* & niſi habeat, cur univerſalibus potius annumerari quam ſpecialibus debeat?

106. Obiiciatur nobis eſſe idem ſive de toto genere enuncietur, quod commune eſt, ſive de ſingulis ſpeciebus, & concedamus, Sed omnes tamen docendi leges reclamabunt & convincant doctrinæ commodo non eſſe idem.

107. Media enim genera ſi ab infimis ſeiunxeris, medias etiam ab infimis differentias prudēter diſtingues, & bene docebis, nam ſummum cum ſingulis partibus comparatum non viciſſim, ſed cum toto genere collatum comeat.

108. Alias doctrinæ confuſionem efficis, memoriam & ingenium conturbas, doctrinam Ariſtotelis de his rebus reddis diſcipulis logicis & ingenioſis ſuſpectam, cum res & rerum genera differentiarum confuſione proponuntur.

109. Heic tamen ſciendum eſt, nos non velle, ut res confringatur, & planè diſcerpatur, velut ab Alexandro Gordius ille nodus, aut ut quidam coqui Platonici faciunt, nimis minuta ἀκριβολογίᾳ omnia in pulverem redigantur, ita ut oculos & animi aciem fugiant, ſed iuſtæ diviſiones nō ſunt omittendæ, niſi docente Cicerone, maximum vitium comittatur.

Hæc

110. Hæc de virtutibus ſequuntur vitia.
Vitia ſeu elenchi definitionis, ſunt quæ leges definiendi impediunt, & definitionis elegantiam corrumpunt, quorum licet prius meminimus & ex virtutibus deduci poſſunt & intelligi: ex Ariſt. repetemus tamen:
111. Sunt autem præcipuè hæc, quorum meminit, inſufficientia & abundantia: tauthologia earum ſocia, & heterogenia.
112. De inſufficientia & abundantia generaliter inquit Ariſt. hoc modo: non ſufficere ad conſtituendam & conformandam definitionem, idem eſſe docere.
113. De Heterogenia verò ſic: Ad evertendum vero ſatis eſt, non eſſe idem oſtendere: nam ſi non idem eſſe oſtendemus, definitionẽ evertemus, quamquã id non retrò comeat. 1 *top. c.* 5.
114. Idem docere definiens vitiosè poteſt vel in defectu vel in exceſſu.
115 In defectu viciat quidem ſi differentia ad definitionem adhibita minus dicat, quàm nomen eſſentiæ rei adæquatum complectitur.
116. In exceſſu vero, cum magis & ſuperfluum: omne enim, inquit, eſt ſuperfluum, quo ſublatò, quod reliquum eſt, planam facit rem, eamq́ definit. *top. 6. c.* 1.
117. Fitq́ hoc vicium vel inani & tædioſa repetitione eiuſdem differẽtiæ mutatis verbis, vel generum ſuperiorum differentiarum aſſumptione, & cum propriis aggregatione, ſicut metaph. 2. c. 3. & 1. de part. an. c. 3. negat poſſe fieri.
118. Generum ſuperiorum differentias ſemper aſſumit & vitiosè definit, qui mediorum generum diſtinctionem negligit & ſtatim à primò ad ultima indeſtincto ordine feſtinat.
119. De aſſumptione inferiorum locus eſt. *top. 6. c.* 2. Si quis inquit eorum, quæ in definitione collocata ſunt non omnibus conveniat iis, quæ eidem ſpeciei ſubiiciuntur tota eſſe oratio propria nullo modo eſſe poteſt.
120. Iccirco ſcitè potius agitur, inquit ſi quæ ad genera attinẽt, ea communi negotio explicentur, quæ verò non eiusmodi, ſigillatim.
121. Hæc cum ita omnia conſiderantut non modo fidei, ut vocantur, præcepta exiſtere poſſunt, ſed & ſcientiæ, tautho-
logiaq́

logiaque rei eiuſdem vitioſa omninò non apparebit.

122. Heterogenia non habebit locum.

123. Hæc de definitione perfecta, ſequitur imperfecta.

Definitio imperfecta Platoni videtur vocari χυαγράφιμα, Ariſtoteli dicitur ἴδιον & proprio nomine ὑπογραφὴ deſcriptio, quæ non docet, quid ſit eſſe: ſoli tamen rei ineſt, & cum ea reciprocatur *top. 1. c. 5. & 8.* ut proprium hominis eſt τὸ γραμματικῆς εἶναι δεκτικόν.

124. Communia non ſunt propria niſi πρός τι, cuius reſpectu convertibilia ſunt, cum ſubiecto.

125. Differt autem deſcriptio, á notatione, quæ definitio nominis dici poteſt, quocunq; modo illa fiat cum hæc nominis, illa rei det cognitionem.

126. Ineſt quidem rei τὸ ἴδιον, ſed non ut τὸ τί ἦν εἶναι, quod cum ſubiecto quatenus ipſum comeat, quia ſubiectum non eſt idem Accidenti *7. metaph. c. 6.*

127. Et reducitur propterea cum ſubiecto, ſed non ſolùm cùm poſsint & plures unius rei dari ὑπογραφὸς, ſeu qualeſcunque delineationes & imagines *6. metaph. c. 29.*

128. Cum enim cauſæ & rei forma præcipuè non tam ſcrupuloſè quæritur, varii reſpectus rei poſſunt accidere, pro quo varii termini nunc accidentis proprii cum aliqua cauſſa eſſentiali, nunc communis, nunc effecti, nunc ſubiecti, ſimilis, vel qui fit remotione contrarii adducuntur ut explicent, ſicut quilibet pro ſuo ſenſu ex variis circumſtantiis docere velit.

129. Datur autem deſcriptio vel non neceſſariò, vel neceſſariò.

130. Non neceſſariò quidem cum definitione, quæ dari potuit, omiſſà, placeat propter certam cauſam aliis terminis, rem declarare & commendare, Sic Ariſt. *top. 1. c. 5.* ἄνθρωπός ἐστι, inquit, ζῶον θνητὸν ἐπιστήμης, duobus accidentibus proprio ſimul & communi homo heic deſcribitur. Sic Fabius, Grammaticam dicit eſſe clavem philoſophiæ, cæterarumq; artium fontem & originem.

131. Neceſſariò verò, cur cauſſa perfecta non occurrit, nec dari poteſt, & ob hoc Auctores in rerum, perſonarum, locorum, temporum declaratione variè varias perferre coguntur circum-

circumſtantias, cuiuſmodi ſunt virtutes in ethicis, ſtirpium & herbarum in phyſicis quam plurimæ.

132. Solent quidem tales deſcriptiones adhiberi tùm breves, tùm prolixæ.

133. Breves in ſcholis & apud philoſophos, qui docendo & diſputando valdè conciſe ſolent, ſicut & decet, progredi.

134. Prolixæ vero apud oratores & Poetas, qui non docendo ſolum, ſed etiam delectando perſuadendo & movendo illuſtrius & magnificentius procedunt. Talis eſt deſcriptio Iulii Cæſaris, & gloriæ apud Ciceronem: famæ & portus apud Virgilium. Hippiæ apud Lucianum.

Hæc fuerunt, quæ περὶ τοῦ ὁρισμοῦ ex Ariſtotele paſsim collecta adducere viſum fuit, vera quidem & ſummè neceſſaria, quicquid vel Epicurei vel Antiſthenei contrá blaterent, & ab omni ſtudioſo inprimis cognoſcenda, uſurpanda.

Iam vero harum theſium explicationem, uti & obiectionum diſſolutionem, aliarumque utilium & variarum quæſtionum, quæ circa hanc materiam moveri poſſunt, diſquiſitionem ad συζήτησιν publicè inſtituendam remittere volumus.

De diſtributione in diſputatione, Deo dante,
proxima.

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 176 [14,-121 4°]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 176 [14,-121 4°]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 176 [14,-121 4°]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 176 [14,-121 4°]